

militis, ait Pufendorfius; et Ambrosius inquit: Princeps honoris sibi ducit, si filius Ecclesiae sit; non pater, non rector. Denique in quovis corpore singula membra consulere debent incolmitate totius; at enim, ut doctor gentium effatur, "omnia membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra (Rom. XII, 3)."

Respondeo 2. Duo conceduntur ab omnibus: *primo* esse gravissima rationes, quae principem permovereant, ut divinam religionem cordi curaeque habeat. Id exposui in Jure publico nat. § VI. *Secundo* esse principis officia quædam in protegenda divina fide, officia pro conservanda Ecclesie unitate, officia in causis disciplinæ; quæ seorsim indicata sunt, cum de illis objectis religionis speciatim tractarem in Jure eccl. publico, ubi (Cap. II, art. V, hor. proleg.) cavendum esse monui, ne quis sine rerum creatarum ad perturbandum ordinem abutatur; et § seq. ne, qui principem defensorem rerum Ecclesiae esse dicunt, eundem faciat dominatorem. Substantet igitur princeps dignitate sua et potentia auctoritatem laboresque corum qui res divinas ex Dei ordinatione curant; at caveat, ne ab assentatoribus in ipsum sanctuarium intrudi se sinat, et infelici exemplo Oziæ thus adoleat (II Paralip. XXVI, 16): id enim si attentet, non promovet religionem; sed impedit, sed turbat et conculeat.

Respondeo 3. Ab obtentum, qui frequens est hodie, a principe res Ecclesiae, ritus religionis, usum bonorum ecclesiasticorum mutari seu *reformari in melius*. Nemo, hoc quidem obtentu, ab alio, a quo minimè pendet, in libertatem actionum suarum, in bona sua, corumque administrationem iavadi sinet, nec ipsi adversarii quemque Jure naturæ, quod jactitant, ad id cogi posse facile affirmabunt. Sed de negotiis Ecclesiae et religionis simili in causa dudum scripsit beatus Hilarius: "Misereri licet nostræ ætatis laborem, et præsentium temporum stultas opiniones congregescere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, et ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione sæculari laboratur, etc. (Num. 2 contra Auxentium)." Justinianus quidem imperator, etsi legibus suis, quas de sacra publicaque disciplina edidit, sacras regulas sequi se et imitari iterum iterumque professus sit, et imperatores appellat *tutores ac vindices vetustatis*, tamen aliquandò *canones in melius sibi augendos* censuit. Duo sunt ejus rei præcipua exempla. Primum exstat l. 42, § 1, c. de episc. et clericis; qua *præter et ultra canones in episcopos assumi* vetuit eos quibus liberi essent, aut nepotes superstites. Alterum continetur in Nov. 123, c. 13, ubi decernitur, ordinari non debere subdiaconum 25 annis minorem. Sed legatur, obsecro, de primo casu constitutio II Leonis sapientis, de altero constitutio ejusdem LXXV. In priore quidem Leonii imperatori adeo non auxisse canones in melius visus est Justinianus, ut potius violasse putaverit; quo loco et causam redarguit, ob quam Justinianus legem tulerat, et ab ea *in audacia pœnam* perpetuum in futurum indixit silentium. De altero casu Leo sapiens: "Sacra decreta in suis rebus prævalent civilibus legibus. Sexta synodus vicenaria hypodiaconum ordinari posse sanxit; — sacram legem sacer ordo sequatur." De hac eadem re constitutionem XVI, jam ediderat Leo, canonum disciplinam contra Justiniani legem revocans ex naturali hac ratione: "Vetus verbum, quod de rebus suis dicenti aures esse aperiendas monet, cum in aliis omnibus per belle sese habeat, tum hic longè esse pulchrius appetat. At quorsum hoc? Civilis lex statuit, ne minor 25 annis in divinis officiis creetur hypodiaconus. Decretum sacrum contra statuit, ut, qui ad istiusmodi ministerium accedit, hunc vigesimus annus ad ordinationem perducat. Dignum itaque, sacram legem de rebus suis præcipientem audire, imperatoria nostra majestas rata, et in eamdem cum

illa sententiam descendit, et statuit, ut qui ad vigesimum annum pervenit, modo anteactæ vitæ ratio obstaculo non sit, quantum ad ætatem, hypodiaconi officium suspicere non impediatur (1)."

III.

Nonnulli jus imperantis circa sacra ex eo derivant principie, quod "ipsa religio sit medium felicitatis civilis: quam cum princeps pro jure suo consecetur modis 'omnibus,' de ipsa etiam religione et Ecclesiae negotiis valet disponere; quia, inquit iterum, iterumque, *jus ad finem dat jus ad media*.

Respondeo 1. Religio est medium felicitatis civilis non tantum relatè ad subditos, ut religionis metu obtemperent; sed vel maximè etiam comparatè ad principem, ut religionis ductu et reverentia justa imperet: est medium ad felicitatem civilem, non ut perverso finium ordine ad felicitatem caducam tanquam finem appetunt et consingantur dogmata, præcepta, ritus religionis, et Ecclesiae negotia postponantur negotiis profanis; sed est medium ea ratione qua Dei sapientia effata est: Queritis primum regnum Dei et justitiam ejus; et *hæc omnia adjicientur robis* (Matth. VI, 35).

Respondeo 2. Quàm lubricum sit dictum illud: *Jus ad finem dat jus ad media*; annotavi leco maximè proprio, nempè in Instit. Jur. nat. priv. § XIII, nisi scilicet eo nisi principio bellum omnium in omnes velimus inferre. Exempla prævi usus præbent theses damnatae, quas ibidem recensui, § CV. Nempè distinguendus est finium homini propositorum ordo quidam; singuli sui sunt gradus: est enim modus in rebus omnibus. Ratio ipsa mediorum expendi debet, ne graviora malo sint remedia. Quod honestati, quod legibus, ac imprimis naturali juri repugnat, censetur *medium impossibile*, ad quod nemini jus competit. Sanè et medicus, dum propositum habet finem leniendi dolores, quantam adhibere cogitur circumspectionem, nec, dum una parte medetur aliquantum, alteri multum noceat. Si quis jure suo ad propositam metam tendit, non continuò per alienum fundum transire potest, et qui facultate potitur costruendi domum, non ob eam causam in aream alienam provehi debet.

IV.

Adversarii ecclesiastice potestatis, ut nihil omnino intentatum relinquant, quo eam constringant modis omnibus et arbitrio subjiciant laicorum, ad ficticiam hypothesis status naturalis recurrent, indèque et fundamentum juris circa sacra, ejusque explicatam per singula religionis capita deductionem arcessunt: Sic enim aiunt: *In statu naturali potestas ecclesiastica per se et naturaliter cohæret majestate*, quia juris gubernandi civitatem pars longè præstantissima ea est, quæ in pietate civium animis implantanda, cultuque divini numinis ad rectæ rationis principia moderando occupatur; addunt: "Possunt tamen pacientes, qui primi in civitatem coeunt, alteri cuidam quàm imperanti civili deferre imperium ecclesiasticum, aut permanere in societate æquali." Pro quovis horum casuum explicatè deducunt jura, quæ imperanti circa Ecclesiae et religionis negotia competunt. E. g.:

1. *De causis fidei.* Dogmata quidem immutare, quæ vel rationis ope, vel per revelationem a Deo manifesta sunt, non pendet a civili arbitrio; at imperantis est,

(1) Quivis, me non monente, intelligit, paria de ætate ad professionem religiosam requisita dici posse.

cavere, ne dogmatum obtentu damnum inferatur civitati: in controversiis fidei princeps provisoriè decernit, colloquia instituit.

2. *In causis unionis* tolerat dissentientes, nisi etiam hostes civitatis fiant; et tuerit conscientiae libertatem.

3. *In causis sacramentorum curat* ne quis abutatur piis exercitationibus, ne simoniam committat, ne cui petenti officia Ecclesiæ, sine causa et cum detrimen- to publicæ tranquillitatis denegentur: antecedenter irritat vota, matrimonia, jura- menta.

4. *In causis disciplinae liturgicæ* circa dies festos, ceremonias, congregations publicas, ritus arbitrarios, peregrinationes, imagines, templa.

5. *Circa ministros et doctores* constituendos; eorum numerum, ætatem, qua- litates definiendo.

6. *In causis exercendi regiminis ecclesiastici* circa synodos, leges, judicia ec- clesiastica.

7. *In causis bonorum temporalium* Ecclesiæ, quæ non desinunt esse bona ci- vitatis.

Hisce juribus imperantibus circa sacra pro statu *naturali* expositis, auctores qui- dam, velut versa repente acie contendunt, eamdem ad præsentem statum factæ revelationis et institutæ a Christo Ecclesiæ pertinere. Cur ita verò? Et quæ po- test esse conclusio a statu naturæ ad statum gratiæ? "Quia, inquit, Christus, qui quidem Ecclesiam suam unam fundavit, et universalem, ac sacra potestate instruxit, attamen civili imperio minimè derogare intendit, sed Cæsari dari jussit quæ sunt Cæsar, et quæ sunt Dei, Deo." Quod idem alii his exprimunt *verbis* instar apophthegmatis: quia *Evangelium non abolet politiam*.

Respondeo 1. Hæc hypothesis de statu naturali religionis et Ecclesiæ est plena contradictionis et absurditatis. Quomodo enim in statu *naturali* locum ha- bident dogmata et præcepta per specialem revelationem humano generi proposita? Quæ sacramenta divinitùs instituta? Quæ nundinatio rerum supernaturalium pro pretio temporali, id est, simonia: *donum Dei existimasti pecunia possideri* (Act. VIII, 20)? Dein non queritur, quid fieri omnino potuerit de statu religionis et Ecclesiæ, sed quid factum divinitùs sit. Ecclesia tanquam regnum Christi spiri- tuale, dudum prædicta a prophetis, a Dei Filio fundata est cum imperio sacro et supernaturali, et segregato ab omni politica potestate: ab hoc statu recurrere ve- lle ad statum naturalem, quid est aliud quām a veritate rerum ad somnia et ficio- nes, ab Evangelii luce ad tenebras hypothesis velle recurrere?

Respondeo 2. Christus non derogavit imperio civili quoad ea quæ naturalia et merè politica sunt, *concedo*; non derogavit quoad ea quæ ad religionem superna- turalem, et potestatem divinitùs institutam in hoc statu pertinent et in alio statu fortassis in principem transferri poterant, *nego*. Omnis lex positiva libertatem na- turalem restringit, eique derogat: igitur et lex positiva evangelica. Nonne per Evangelium derogatum est juri patrumfamilias, qui in statu naturali possent de- finire sacrificia Deo offerenda patriosque ritus divini cultus? Si autem per legem Evangelii restrictum est jus patrumfamilias; quomodo restrictum non est jus civi- lis imperantis, quod ex translatione juris a patribusfamilias facta concipitur pro- venir? Dicunt ipsi adversarii, in hypothesi status naturalis imperium ecclesiasticum alteri cuipiam, quām imperanti civili a paciscentibus, qui in civitatem coie- runt, deferri potuisse. In præsenti statu, nec si vellent patresfamilias, vel in im- perantem civilem, vel in alium quemvis de imperio ecclesiastico transferre quid-

quam omnino possunt, in præjudicium potestatis divinitùs institutæ; id quod ma- nifestum est consideranter sistema catholicæ religionis.

Respondeo 3. Christus dixit: "Date Cæsari quæ sunt Cæsaris," at nihil de iis quæ ad potestatem, vel ad regimen Ecclesiæ pertinent, Cæsar unquam accepit; nihil ergo ei detrahi, vel derogari potuit; quia privatio supponit habitum, nihil Cæ- saris unquam fuit; nihil ergo Cæsari reddi debet ex mente Christi. Eleganter ea de re Chrysostomus scripsit: "Potestis enim et hominibus sua reddere, et quæ "Dei, Deo debitæ præstare. Propterea Paulus quoque dicit: Reddite omnibus de- "bita, cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui ho- "norem, honorem; tu verò cum audis reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt, illa so- "lum dici non dubita, quæ pietati, ac religione nihil officiunt; nam quod fidei ac "virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum et vectigal est (Homil. 71, in cap. "XXII, Matth.)." Cause religionis et Ecclesiæ sunt *cause Dei*; personæ religio- ni et Ecclesiæ dicatae, sunt *ministri Dei*, res divino cultui destinatæ sunt *res Dei*.

V.

Aliud præterea fundamentum juris circa sacra, quale hoc rēvo prolatum est ad opprimendam libertatem Ecclesiæ, ejusve auctoritatem eludendam, multi inveni- se se putant in juribus connatis defensionis, securitatis, præcautionis et necessita- tis: quæ quidem jura, cum vel privatis contra privatos concessa sint a natura ad suam quorumvis conservationem et perfectionem, non possunt non imperanti civili pro conservatione ac perfectione civitatis tribui: "Præcavendum est principi, in- "quiunt, ne civitas ex negotiis Ecclesiæ detrimentum capiat, ne publica tranquilli- "tas turbetur: hinc examinare debet actiones Ecclesiæ etiam essentiales, ne dog- "matum obtentu doctrinæ aliæ bono civili adversantes propalentur."

Respondeo 1. Totum hoc reipsa depromptum est ex libris protestantium, qui potestatem Ecclesiæ publicam et rectoriam, in suo genere summam et indepen- dentem ac segregatam a civili imperio, non agnoscunt: "Dubitare non licet, inquit "Pufendorfius, quin etiam doctrinæ christianæ aliquid pravi admiseri, ejusve ob- "tentu noxi quid in republicam introduci queat (1)." Similia habet Boehme- rus: "Cum, inquiens, Ecclesia sit in republica, imperanti non minus ac in cetera "collegia competit jus inspectionis generalis, ut videat, ne quid in sui et in reipu- "blicæ præjudicium ibi agatur. Indè prima fundamenta juris circa sacra." Ex- plicat verò in notis quale præjudicium maximè timendum sit reipublicæ: "Non "raro contingit, membra collegii, et imprimis, qui illis præsunt, arrogare sibi po- "testatem legislativam vel imperatoriam; sicut id pessimo romanæ Ecclesiæ exem- "plo constat. Quod cum metuendum sit, salutis reipublicæ ratio postulat, ut, quan- "tum fieri potest, præcaveat, ne sacrum quoddam imperium in Ecclesia oriatur. "Si imperans vigilantiam suam hic negligit, et præpositi sacris ambitione trahun- "tur, prout facilè contingere potest, omnino metuendum ne jurisdictionem paula- "tim exercere, et hierarchiam stabilire incipient (2)." Hoc igitur præjudicium et damnum reipublicæ ab essentialibus Ecclesiæ negotiis, nisi examinentur a princi- pe, timent protestantes, ne jurisdictione Ecclesiæ et hierarchia sacra divinitùs insti- tuta, et in Germania indè ab introducta christiana fide usque ad Lutherum vigens ac pacifica gaudens possessione, postea verò a Lutheri sectatoribus vi et armis ex- turbata paulatim iterum reducatur. Quid verò catholici scriptores, qui eamdem

(1) Pufendorf. de habitu rel. christ., § 44, p. 205.

(2) Boehmer. introd. in Jus publ. univers. I, 2, cap. 5, § XV.

Ecclesiæ hierarchiam tanquam fidei dogma, publicis etiam legibus stabilitum, ab Ecclesia timeant, vel quo tendant, eadem sensa et penè verba exscribendo ex protestantibus, sanè non video, nisi ut eadem hierarchia et jurisdiction modis omnibus impediatur, minuatur, ex laicorum arbitrio pendere cogatur, et paulatim evertatur. Sed nempè ii qui sacris præpositi sunt, ambitione trahuntur, ut Boehmerus ait: ambitiosi igitur fuere præpositi et episcopi indè ab ævo apostolorum; ambitiosi ipsi apostoli, ambitiosi patres et doctores Ecclesiæ, ambitiosi romani pontifices omnes, quantumvis sanctitate et doctrina eminentes; ambitiosæ synodi præsum generales et particulares omnium ætatum ac locorum. Quid verò principes, reges imperatores catholici, qui eamdem Ecclesiæ jurisdictionem et hierarchiam agnoverunt, reveriti ipsi, et contra adversarios tutui sunt? Nempè incurii et negligentes juri suorum, ut Boehmerus vult.

Respondeo 2. Princeps pro conservanda ac perficienda civitate gaudet jure defensionis, securitatis et precautionis; at nempè salva libertate Ecclesiæ, ejusque jure independente, et cum subordinatione finium; quia summus est favor religionis: quod vel ethnici agnoverunt. Si necessitatē reipublicæ obtendunt, constat ex disciplina Juris naturalis, necessitatē varios gradus distingui oportere, et multiplicem adhiberi cautionem, ut in aliorum non subjectorum actiones et res justè uti possimus jure necessitatis. Quomodo, obsecro, censeri potest princeps defendere, quæ nullo modo possidet tunc, quando ad defensionem accingitur? Quæ ipsius antecessores multis retrò saeculis non possederunt? Quæ defensio cogitari potest, ubi nulla est aggressio; ubi nihil sit ab Ecclesia, quād quod antea semper et tranquillè facere potuit? Quæ defensio contra inermes Ecclesiæ præsules, clericos, monachos? Si is juriu connatorum ius, quem imperanti civili circa res sacras tribuunt scriptores nonnulli, applicari cogitetur ad personas physicas vel morales in libertate degentes, habebitur profectò bellum omnium, et valebit dictum illud: "Sit autem fortitudo nostra lex justitiae; quod enim infirmum est, inutile invenitur" (Sapientie II, 11)."

VI.

Unum superest fallacie genus, quo scriptores plurimi hoc ævo in jure imperantibus circa sacra ultra justos limites amplificando maximè utuntur. Ut jus illud ad diminutionis divini cultus, et neglectum antiquissimorum canonum, atque ad coangustandum usum ecclesiastice potestatis penitus comparent, et confingant; id agunt, ut rem et negotia Ecclesiæ ac religionis cum re et negotiis status civilis vafre et fraudulenter comparent. Quidquid ad commodum quoddam, vel incommodum reipublicæ videtur pertinere posse, id augent modis omnibus, exaggerant necessitates publicas, multiplicant pericula detrimentorum, attollunt commoda mutatis Ecclesiæ et religionis moribus proventura. Contra religionis ritus merè adiaphoros dicunt, exercitia pietatis accidentaria, officia tantum affirmativa, quæ in casu collisionis cedere debeant officiis negativis erga rempublicam; jura præsum Ecclesiæ secundaria et adventitia maximam partem nuncupant, actus tantum exter nos attingi a principe aiunt, qui ab eo cum publica felicitate conciliari debeant; denique ob multiplicem negotiorum civilium et ecclesiasticorum connexionem im perantis civilis esse aiunt, alia ab aliis discernere et justos utrinque limites constituerem.

Respondeo 1. Ita nimurum cum de divina religione, de honore Summi Dei, ac de sempiterna hominum salute agitur, istiusmodi scriptores et doctores andiendi sunt,

scilicet ex concilio Siracidis, quod memoravi § XVII (1). *Adiaphora* vocant, quæ maximam vim ad pietatem habent, et judicio venerandæ antiquitatis, hominumque sanctissimorum maximo pretio haberi deberent; aut quæ certis temporibus præsentem perniciem integratati fidei, et communioni catholicæ afflisse possunt; uti patet in coerecendis hominibus pravis, condemnandis libris, prohibendis suspectis conventionalibus.

Respondeo 2. Officia negativa erga rempublicam in eo sita sunt, ne illi fiat injuria, id est ne jura illius lèdentur, sed hi scriptores non tam antiqua jura conservari intacta volunt, quod sanctissimè observant Ecclesiæ præsules, sed eadem novis cupiunt augere incrementis, et ex re quidem ecclesiastica; idque propositione negante, efferunt, ne bono publico noceatur. At hoc modo omnia religionis officia omnesque pietatis actus ad officia negativa detorqueri poterunt, dicendo: *Ne divinæ religioni, ne Supremi Numinis gloriæ, ne sempiternæ hominum saluti noceatur, et detrimentum fiat.* Reipsa Ecclesia et religio, intruso hoc jure, agit de danno vitando, respublica de lucro captando, si doctrinam recentium scriptorum rectè expendimus. Accedit, quod religionis et sempiternæ salutis causa per sese infinitis prærogativis potior sit caducis commodis.

Respondeo 3. Par sophisma in ea latet distinctione, qua præsum Ecclesiæ, atque imprimis romanorum pontificum jura alia vocant *originaria ac primaria*, alia *adventitia et secundaria*. Que primis Ecclesiæ seculis a romanis quibusdam pontificibus gesta, vel decreta non legunt, ea ad jura adventitia et secundaria rejiciunt. Id quo dupliciter peccant. Nam si quid eo tempore gestum decretumve fuisse, non constet modò; num propterea gestum decretumve non fuit omnino? Pessima est hæc consecutio spectato miserabili naufragio tot veterum monumentorum, ad rem ecclesiasticam spectantium. Dein si quis tempore quodam nullum juris aut potestatis usum faciat, eo quod occasio nulla sit neque necessitas exigat; num ob eam causam ipsa potestas nulla est? Quād multa decernuntur hodie a civili magistratu quæ a majoribus decreta nunquam fuerunt; an nepoterea majores decernendi potestate caruerant? An magistratus præsens jure adventitio et secundario utitur? Memini, doctores imperialium institutionum, præeunte quodammodo Justiniano, duplex distinguere jus gentium, seu jus ratione cognitum; aliud *primarium*, quod *naturalis ratio inter omnes homines constituit*, quodque semper et ubique observandum est: qualia sunt Deum colere, parentes revereri, nemine lèdere; aliud *secundarium*, quod usu exigente, et humanis necessitatibus gentes humanæ constituerunt, ceu bella, captivitates, servitutes et contractus penè omnes (2). At enim nonne et hæc naturalem rationem habent, nonne ex natura, tanquam fonte uberrimo, profluunt, et ad jura majestatica respectu imperantium referuntur in disciplina Juris publicis universalis? Inanis igitur est, et ad deprimentam auctoritatem præsum Ecclesiæ excogitata distinctio illa juriū primiorum et secundiorum, cum omnia ex potestate a Deo concessa peræque dimanent.

Respondeo 4. Ad id, quod de multiplici nexu negotiorum ecclesiasticorum et ci vilium, ac de limitibus utriusque potestatis constituendis dictum est supra. Si in dubiis casibus et collisione negotiorum principi politico soli et privativè tribuitur jus procedendi, manifestè lèditur jus imperii sacri, et civili imperio adjudicatur

(1) Cap. II, libri subiid. seu isagogie juris nat. qui principia et fontes Juris ecclesiastici exhibet. auctore Zallinger.

(2) § 1 et 2. Inst. de jur. nat. gent. et civil.

prærogativa, quæ eidem nullo jure competit, imò quæ ordini rationis, finiumque naturæ repugnat; quia in omni statu, tum naturali, tum adventitio, politico, tum privato, tum publico, potior est causa religionis et sempiternæ salutis, quām felicitatis caducæ et temporariæ. Causæ limitum et finium regundorum ab una tantum parte, altera inaudita, nullo jure terminari possunt. Sic idem de conflictu jurisdictionis dicendum est, quando pars utraque summo in genere suo gaudet imperio, neutra ab altera pendet, nec communi utraque subjacet imperio.

His velut cardinibus, quos adhuc exposui, excusisque, continetur nova philosophia juris sacri: ha sunt normæ ac regulæ, secundum quas jura Ecclesiæ et statuum politicorum dijudicari atque exerceri volunt scriptores heri nati. Ipsi enim fatentur, atque adeò gloriantur, Jus publicum aniversale antiquis doctoribus incognitum, ac luci temporum nostrorum reservatum fuisse. At quid est, obsecro, sacra subjecere profanis, salutem æternam postponere temporali, et Christi sponsam subjugare velle hominum politicorum, quibus principes stipantur, pravis studiis, astutis consiliis, votisque impiis; quid est, inquam, constructo systemate, et excogitatis hypothesis, methodicè, ut aiunt, opprimere penitusque evertere velle hierarchiam Ecclesiæ divinitùs institutam? Quanquam quæ potest esse, vel permanere libertas civilis, quæ bonorum, pactorum, federum ac legum fundamentalium securitatis, introducto hoc jure? Nihil a me exaggeratè dici, is perspicet sanè, qui Jus naturale universum, nempè privatum, sociale, universale civitatis, gentiumque indè a primis principiis perscrutari, et jactitata novæ philosophiae hujus juris principia cum consecatriis conferre in animum induxit. Ea me causa ante annos complures impulit, ut naturale jus diligenter pervestigarem, exponeremque. Facile enim videbam, adversarios Ecclesiæ et hierarchie potestatis iisdem armis, quæ abripuerant ipsi, repellendos esse, et contra falsò jactitatum rationis jus ratione convincendos. Hinc scriptio mea identidem animadversiones quasdam proposito acommodatas, quantum operis temporumque augustiæ permiserant, inserere studi, eam maximè ob causam, ut philosophiam juris sacri, quām novam esse ejus doctores non diffitentur, et ob ipsam novitatem, in sacris rebus vehementissimè suspectam habere deberent, inanem esse et fallacem, belloque hobbesiano excitando natam aptamque ostenderem. Expende si lubet, Institut. juris natural. et eccles. publici sequentia capita, quæ ad hunc maximè locum pertinent.

1. In natura complicata hominis, ex qua facultates morales et obligationes profluunt, distingui in primis debet ordo finium, gradus eorum et aptitudo mediorum. Jus naturæ privatum § IV. Adde dicta de principio socialitatis § XXIV et de bello hobbesiano § XXIII.

2. Idea religionis naturalis § LXVIII, ubi discutitur, quonam evadat distinctio inter substantialia et accidentalia religionis.

3. Segregatio utriusque potestatis, sacræ et profanæ; differentia utriusque; Jus nat. publ. C. VI, § CCXXIII, et Jur. eccles. publ. § CCCLV et CCCLVI. Quæ sit felicitas illa publ. civilis, quām novi scriptores promittunt. Jur. nat. § CCXXIV.

4. Varia relationum, nexus ac respectuum genera, quæ inter actus et causas utriusque status et potestatis exaggerari hodie solent. Jur. eccl. publ. cap. II horum prolegomenorum per totum.

5. Varii obtentus, et objecta contra præsentem Ecclesiæ disciplinam. Juris ecclesiast. publ. c. X, § CCCXCIII (1).

(1) Vide notam XVI ad prolegomena.

ARTICULUS VII.

DE HISTORIA ET CRITICA, TANQUAM NECESSARIIS ADMINICULIS JURIS SACRI.

Cum historia conjunctam hic sumi notitiam quamdam geographiæ et chronologiæ, quivis intelliget, qui in luce historiæ cœcutientium more vagari, et errare, et labi non velit. *Necessarium* pro jure sacro appellavi historiæ adminiculum ob has maximè causas.

§ I.

NECESSITAS HISTORIÆ.

1. Principium juris sacri, et fundamentum initio hujus libelli posui in fide, et immota adhæsione ad fidem et Ecclesiam romano-catholicam, quæ una est, sancta, catholica et apostolica, quemadmodum universus orbis christianus in symbolis profitetur. Atqui in ea fide atque adhæsione maximè nos confirmat historia rerum ecclesiasticarum; quæ nobis perpetuam exhibet unitatem fidei, unitatem communionis et unitatem capitis, quocum consentire omnes, qui undique fuerunt fideles necessarium semper duxerunt. Huic unitati testimonium dant per omnes ætates vel ipsa membra ex corpore Ecclesie abscissa, amputati rami, et rivuli exsiccati; quippè segregati a perenni veritatis et salutis fonte. Exhibet dein historia inde a temporibus apostolorum Ecclesiam *catholicam*, per omnem orbem diffusam; quæ si locis quibusdam aliquando jacturam passa est ob hæreses et schismata, überem a providentissimo Deo compensationem obtinuit ex messe evangelica aliis in regionibus recenter collecta. *Sanctitatem Ecclesie* omnium sœculorum monumenta testantur, et prædicant in singularibus virtutum exemplis gloria miraculorum, coronis martyrum, ordinum regularium utriusque sexus institutione, et conservatione. *Apostolice originis* continuationem palam facit successio præsulum ecclesiasticarum et romanae imprimis, a qua, tanquam matre, cæteræ deinceps post eum apostolorum prodierunt, derivatæque sunt, qui idem præsules id semper curarunt maximo studio, ut depositum fidei a majoribus acceptum illibatè custodirent, et profanis resisterent novitatibus. Est igitur hic præcipuus fructus historiæ ecclesiastice, et nostris temporibus summoperè necessarius, ut confirmetur fides nostra, et veritas divinæ religionis et Ecclesiæ evidentissimè cognoscatur. Eò respicit recepta divisio capitum, in quæ historiam Ecclesiæ per certas ætates dividunt scriptores ejusdem: agunt enim de continua successione præsulum romanorum, de synodis generalibus et particularibus, in quibus unitas fidei contra schismata, sanctitas religionis contra irrepentes abusus vindicata est; agunt dein de propagatione et incrementis fidei, de viris illustribus, sanctitate, doctrina, gloria miraculorum claris: quæque sunt alia istius generis, quæ divinas promissiones de vera Ecclesia manifestant confirmantque (1).

(1) Hunc ipsum historiæ fructum Claudius Fleurius in præfatione commendat, ac de continua præsulum præcipue romanorum successione agens, quām eadem historia exhibet, ita inquit § IV: "Hoc profectò veræ religionis fortissimum et convincens est argumentum: omnis Ecclesia, quæ ascendendo ad prima sœcula, pastorum suorum seriem semper in communione aliarum ecclesiæ, in primis vero Ecclesie romanæ viventium, demonstrare potest, omnis, inquam, Ecclesia, quæ hoc testimonio gaudet, catholica est. Contra societas hæreticorum ex eo dignoscuntur, quod, si ad prima tempora reducas, seriùs aut citius certum tempus reprehendatur, quo se ab Ecclesia ex qua hortum traxerant, separarunt. Doctrina nova aut particularis falsa est. Vera autem, quæ semper et per totam Ecclesiam tradita est."

Necessitatem rei historicæ pro Jure sacro ipsi istius fontes, quos hoc libello exponui, ostendunt. Nam ut nihil dicam de sacra historia utriusque Testamenti, traditionum exempla ac testimonia ex memoria rerum præteritarum petenda sunt. Gestæ synodalia et canones in conciliis editi sine temporum rerumque notitia nec haberi, nec ritè applicari possunt; similiter disserendum de constitutionibus pontificum, auctoritatibus patrum et doctorum, principum edictis. Jus quidem publicum *particulare*, tantum quantum est, historia nititur. Decisiones plurimæ, quæ in corpore juris communis exstant, sine cognitione historica explicatum non habent; et universæ jurisprudentiam non modo in *scientia justi et injusti*, verum etiam in *notitia rerum dicinarum atque humanarum* rectè collocavit Justinianus (§ 1 Inst. de J. et J.).

§ II.

CRITICÆ NECESSITAS.

Maximam colendæ historiæ necessitatem bonis omnibus imponunt adversarii juris et sacrosanctæ religionis, qui identidem ad veterum exempla, ad primitivam Ecclesiam et antiquos canones provocant; neque satis habent in factis singularibus mentiri, et calumniari, sed universalia et quedam modo conserta mendacia uno halitu protrudunt. Istiusmodi sunt: "Primis Ecclesiæ temporibus populus habuit *“jus eligendi episcopos et ministros Ecclesiæ. Jus sacrorum olim exercuerant principes, non reclamantibus episcopis.* Ante Constantinum nullum exstat immunitatis clericorum vestigium. Episcopi Ecclesiarum independenter a romana sede ordinarunt disciplinam. Synodi sola imperatorum auctoritate convocatae sunt. *“Jura pontificia ex spuriis decretalibus Isidori maximam partem prodierunt. Episcopi in legibus Ecclesiæ olim sua auctoritate dispensarunt.* Ante Isidorum apellations ad sedem apostolicam aut nulle fuerunt, aut improbatæ ab episcopis. *“Eiusdem Isidori merces per auctoritatem Romanorum Pontificum invaluerunt et vim nactæ sunt (Conf. § 58).”*

Tractationi historicæ associanda est *critica*, quæ latissimè patet, et per omnes vagatur artes; ita, ut appellari fortassis queat ars judicandi de operibus ingenii et manuum hominum. Hoc loco ab duo maximè reducitur capita:

1. *Ad inquirendam auctoritatem seu autenthiam monumentorum*, quacumque de re et quæstione agant, juris seu facti, publica aut privata. Ea monumentorum auctoritate etiam comprehenditur inscriptio auctoris, dein incorrupta eorum integritas accurata versio, genuina interpretatio. Huc ob analogiam quamdam referendi sunt tituli utriusque juris *de fide instrumentorum, de rescriptis, de crimen falsi, seu lege cornelia de falsis.*

2. *Ad examinandam fidem narrationis in factis historicis*; ad quem locum ex analogia pertinent tituli juris *de testibus, et attestationibus, confessis item.* Alia igitur est humana auctoritas seu vis permovendi ad assensum, quando, e. g. sancti patres sententias suas promunt de eo, quid honestum, pium, Deo gratum, aut contra, malum, vel perniciosum sit; et alia rursus, cum facta narrant e. g. prodigia, quæ sensibus suis, vel aliorum narratione acceperunt. In primo genere seu in quæstionibus juris vel dogmatis explorata virtus et sanctitas maximum momentum habent; quia Deus amicis suis notas facit res divinas et voluntatem suam (1);

(1) Joan. XV, 14, 15: Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos quia,

eisque impertitur Spiritum Sanctum; quia ipsi nos "sufficientes non sumus cogitare aliiquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficiencia nostra ex Deo est (II Cor III, 5). At in *questionibus facti*, præter vitæ probitatem, quæ a mendaciis et deceptionibus tutos non prestat, alia præterea expendi debent, ut narranti fides haberi possit.

§ III.

PRIMUM CRITICÆ OFFICIUM.—EXQUITITIS AUTENTICITATIS.

Primum igitur criticæ officium, ut ea sumitur hoc loco, est ut auctoritas seu autentia monumentorum, codicum, testimoniorum et instrumentorum exquiratur. Annotavi § LXV (1) scripturis canoniceis sive proto-canonicæ sint, sive deuterocanonice, opponi libros *apocryphos*, seu absconditos, vel occultæ originis ac fidei qui nullius aut dubie sunt auctoritatis; ac propterea nec publicè leguntur in Ecclesia, nec ecclesiastico canoni divinarum Scripturarum fuerunt inserti. Cujusmodi sunt oratio regis Manassis, bonorum quidem sensuum plena, et commemorata II Paralip. XXXIII, 19, III et IV liber Esdræ, III item et IV Macchabæorum; psalmus 151, Appendix ad librum Job continens ejusdem genealogiam.

§ IV.

ALIA GENERA PRÆTER SCRIPTURAS APOCRYPHORUM.

Praeter apocryphas Scripturas multi alii dicuntur libri et codices apocryphi, qui non omnes sunt generis ejusdem, ita ut notio apocryphorum minimè constans sit, et fixa: nam:

1. Aliquando *apocrypha*, dicuntur opera, quæ damnata sunt ab Ecclesia et a catholicis omnino vitari debent. Sic in decreto S. Gelasii P. I. de libris recipiendis vel non recipiendis, § 69, dicitur: "Opuscula Montani, Priscillæ et Maximillæ apocrypha, et § 70: Opuscula omnia Fausti Manichæi apocrypha." Quo sensu hic sumatur apocryphum, indicatur ibidem, præcedente jam § 27. "Quæ ab hereticis vel schismaticis conscripta vel prædicata sunt nullatenus recipit catholica et apostolica Ecclesia romana et a catholicis vitanda sunt."

2. Sæpius *apocrypha* appellantur eadem, ac spuria, seu partes alteri auctori, tanquam parenti, suppositi, et alieno nomine inscripti; quo sensu in eodem decreto Gelasii § 54, dicitur: "Liber canonum apostolorum apocryphus, § 65. Liber physiologus, qui ab hereticis conscriptus est, et B. Ambrossi nomine presignatus, apocryphus, et § 29. Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur S. Clementis, I. S. apocryphum."

3. Non raro *apocrypha* dicuntur, quæ ab Ecclesia tanquam legitima, et publice seu ad usum publicum non sunt approbata, quæ ab ignoto auctore prodierunt, vel a pravis hominibus corrupta aut interpolata sunt, etsi fortè pravam doctrinam non contineant, aut privatim legi possint. Quo modo gesta quedam sanctorum martyrum (ut in gelasiano decreto, § 17, dicitur) "secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota fecit vobis. Et Luc. VIII, 10: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.

(1) Vide Zallinger librum subsid. Jaris naturæ suprà citatum, Cap. V.

"conscriptere, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus aut idiotis superflua,
"aut minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur (1)."

Exposita notione apocryphorum pro indubitate habendum, plurimos inde a primis Ecclesiae temporibus extitisse falsarios, qui divinas et humanas scripturas cunctumque generis corruerunt addendo, detrahendo, pravè vertendo: qui suis vel aliorum scriptis falsa nomina inscriperunt; qui bullas pontificias confinxerunt, oppresserunt, depravarunt: quæque sunt alia falsi crimina in hoc genere. Patet id ex antiquissimorum scriptorum testimoniis, ac vel ex solo decreto gelasiano: Calmetus. D. VII, in diss. *de evangelii apocryphis*, præter istiusmodi pseudo-evangelia novem et triginta, commemorat etiam acta quædam apostolorum, epistolas Iesu Christi, B. V. et apostolorum, ac tandem apocalypses nonnullas falsariorum fraudibus protrusas. A Marcione vitiatum fuisse Evangelium, testatur Tertullianus, l. IV, contra eundem, c. 4, Marcionem secuti sunt discipuli de quibus Tertullianus ibid., c. 5, ait: *Quotidie reformant illud* (Evangelium Lucæ), *prout a nobis quotidie revincuntur*. Exstat fragmentum epistolæ, quam Dionysius Corinthiorum episcopus, ad Soterem P. dedit post medium sæc. II, in qua ait: "Epistolas rogatu quorundam fratrum, qui me ad scribendum impellebant, conscripsi; atque eas ministri diaboli zizanis refuserunt: nam quædam pro suo arbitratu exemerunt, alia adjecerunt. Quibus planè vœ in extremum judicium repositum est. Nec mirum certè, si quidam dominicas scripturas dedita opera depravare aggressi sint, cum has meas, quæ non sunt certæ ejus generis, adulterare studuerint (2)." Innocentius P. I. in epistola an. 405 data ad Exsuperium tolosanum, enumeratis canoniciis Scripturis planè iisdem quas modo habemus, de apocryphis in genere operibus ea non solum *repudianda, verum etiam damnanda esse* ait. In pontificias litteras fraudes falsariorum maximè incubuere seculo IX. Inter impostores eminuit Photius, qui in litteras Nicolai I, Hadriani II et Joannis VIII impudentissimas manus intulit (3). Sæculo XI, multa exemptionum privilegia a monachis conficta fuisse, testatur Petrus Plessensis, nomine archiepiscopi cantuariensis, in hunc modum scribens ad Alexandrum P. III: "Scimus equidem, quod ob quietem monasteriorum et episcoporum tyrannidem has exemptiones plerumque romani pontifices indulserunt. Verumtamen in contrarium res versa est. Monasteria enim, quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis sive apostolica auctoritate, sive, quod frequentius est, bullis adulterinis adeptæ sunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopie incurrerunt." Addit dein de abbate malmisburiensi, qui subjectioni episcopi subtrahere se volebat, prætenso exemptione: "Nec illius admittatis privilegia, donec manifestè liqueat ex collatione Scripturæ et bullarum, quo tempore et a quibus patribus sint indulta: falsariorum enim præstigiosa malitia ita in episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium ferè monasteriorum exemptione prævaleat, nisi in decisionibus et examinationibus faciendis judex veritatis exactor districtissimus intercedat (Epist. 68)." Innocentius III, in epistola, ad episcopos Norvegiae data initio pontificatus sui, deprehendisse se ait, non exiguum esse numerum litterarum, a falsariis pontificum nomine confictarum (4).

(1) Decretum S. Gelasii P. I, exstat apud Gratianum can. Sancta Romana: 3, dist. 15.

(2) Euseb. H. E. I, IV, c. 4, edit. Christophorsoni.

(3) Concil. edit. Mansi, t. XVII, col. 136 et 140, in notis Severini Binii.

(4) Fleuri I, 75, § 4. Simile exemplum exstat ibid. I, 74, § 53.

§ V.

CONSTANS ECCLESIE APOCRYPHIS LIERIS RESISTENTIA.

Quam certum est frequens jam indè a primis temporibus extitisse, istiusmodi imposturæ et falsi crimen; tam exploratum habetur, sanctam Ecclesiam, omnibus semper modis eidem restituisse. Docent id litteræ Innocentii I, et amplissimum decretum Gelasii supra indicatum. Canon Apostolicus 59. Ita habet: "Si quis falsi inscriptos impiorum libros tanquam sacros in Ecclesia ad populi et cleri corruptionem publicaverit, deponatur." Sæculo V, Turribius asturicensis episcopus, priscillianistarum hæreses et imposturas sedecim capitulis comprehensas ad Leonem P. misit, addens, eos hæreticos, ut "mendaciorum suorum sacrilegia bonis titulis colorarent, omnia penè divina eloquia sensuum nefandorum immixtione violasse." Respondit S. pontifex: "Et nos istud veracium testium relatione comprehendimus, et multos corruptissimos eorum codices qui canonici titularentur, inventimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prelinirentur?—Curandum ergo est, et sacerdotali diligentia maximè providendum, ut falsati codices et a sincera veritate maximè discordes in nullo usu lectionis habeantur (1)." Memorabilis est canon XXX concilii triburiensis, anno 895: In memoriam beati Petri apostoli honoremus sanctam romanam et apostolicam sedem; si verò, quod non deceat, quilibet sive presbyter, sive diaconus aliquam perturbationem machinando, et nostro ministerio insidiando, redarguantur falsam ab apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid, quod indè non convenire rit; salva fide et integra circa apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos, apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere quid de talibus justo ordine lex romana statuat definire, ut et eis corrigatur, et cæteris modus imponatur (2)." Sæculo dein XII et XIII poenæ gravissimæ et generales in falsarios constitutæ, atque in corpus Juris canonici ad titulum de *crimine falsi* relate sunt. De spuriis decretalibus ab Isidoro conflictis is erit disserendi locus, quo historiam antiquorum canonum collectionumque recensebo. Illud hic addam, impium quodam et sacrilegum calumniæ genus esse, quo Romani Pontifices tanquam fraudis concii spurias illas merces orbi catholico obtrusisse aut illas propugnasse dicuntur: "Eant procul a fidelium cætu, qui in Ecclesiam non habentem maculam neque rugam ejusmodi conantur inferre quisquiliis, longèque longius a catholico orbe, qui, quæ corruere videntur, mendaciis suffulcire nituntur. Nam super solidum fundamentum firmamque petram structa est, semper manens, nunquam casura sincera fides." Alio item loco ait: "Procul absit ab ecclesiastico tractatore omnis turpis suspicio fictionis et imposturæ, qui pura luce tantummodo gaudient veritatis: præstat enim ingenuè ignorantiam fateri magis quam ex mendaciis emendicatam scientiam afferre." Cum dein eminentissimus scriptor ipso annualium scribendorum progressu certiora falsitatis indicia in iis decretalibus detexisset, ingenuè id professus est: "Ex multis inquiens, eas reddi suspectas epistolæ, quæ dictæ sunt secundo annualum tomo, dum de singulis mentio facta est, satis est demonstratum simulque ostensem, illis non indigere romanam Ecclesiam, ut,

(1) Epist. XV, c. 15, S. Leonis, edit. Ballerini.

(2) Concil. edit. Mansi, t. XVIII, col. 147.